



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 691. An & in quibus casibus deduci nequeat Trebellianica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

que detractionem non fundent se in eo, quod filii gravati sint fideicommissio sub conditione; sed in eo solum, quod legitima tanquam jure naturali debita non potuerit gravari, quæ ratio urget non minus si filius purè, quam si sub conditione gravatus sit, ut cum Fachin. observat Wiestn. *h. t. num. 219. in fine.* Alii verò dictæ distinctioni inhærentes, negant, in fideicommissio puro duplicem illam detractionem locum habere, quibus plerique legitæ adhærent, ut Gail. *l. 2. obs. 121. num. 4. & seq.* Cævallor. *rr. commun. contra comm. Tom. 1. q. 74. in pr.* Chifflet. *rr. de legit. c. 13.* Cepal. *l. 2. conf. 133. num. 9.* Carpz. *p. 3. c. 1. def. 22.* & alii, quos magno numero citat & sequitur Muller. *l. t. testantes*, secundum hanc distinctionem in omnibus Curiiis indicari. Similiter in eo non conveniunt AA. num, dum legitima est semis seu media pars, nimirum existentibus pluribus liberis quam quatuor, detrahi quoque possit trebellianica, nec ne, posterius cum Bald. & aliis censet Covar. *in c. Raynutius. §. 11. n. 10.* ex ea ratione, quod absurdum videatur, gravatum restituere hæreditatem ex ea plus consequi quam is, cui restituitur, quod fieret, si gravatus præter semislem hæreditatis receptam nomine legitime quartam alterius semisli nomine trebellianicæ consequeretur. Prius, nimirum habere quoque in hoc casu locum utriusque partis detractionem tanquam verius sustinent cum Cravet. *conf. 50.* & aliis Fachin. *l. 5. controu. c. 3.* Haunold. *de j. & j. rr. 7. à num. 376.* Wiestn. *h. t. num. 221.* & c. eò quod id evincant textus & rationes allatæ pro deductione trebellianicæ, suadeatque favor, quo Canones. *c. cum haberet. de eo, qui duxit in matrim.* & Leges, *Auth. novissima. de inoff. testam. & novell. 18. c. 1.* prosequuntur numerum & commoda liberorum; Neque absurdum aut iniquum videri debeat, dum ex quinque liberis gravatis fideicommissio, et trebellianam simul cum legitima detrahant, singuli multò minus quam fideicommissarius consequantur.

Quest. 691. An & in quibus casibus deduci nequeat trebellianica?

Resp. hanc deductionem cessare seu fieri non posse in pluribus casibus, manifesti juris est. Sic namque locum non habet. Primò quidem in genere in testamentis, in quibus locus non est falcidia. Tholosan. *syn. ag. l. 42. c. 31. n. 18.* Barry. *de test. & in test. l. 5. tit. 7. n. 13.* Wiestn. *h. t. n. 222.* Secundò in testamentis privilegiatis & in specie in testamento militis. Struv. *in ff. ad S. C. Trebell. th. 33. lit. a.* Lauterb. *in ff. eod. §. 39.* cum communi juxta *l. 1. §. 18. ff. eod. l. 12. c. de testam. milit. l. 7. c. ad leg. falcid. & ibi Brunem.* Tertio in fideicommissio familiae Knipshilt. *de fideicommiss. c. 6. n. 164. & seq.* Peregr. *rr. eod. a. 57. n. 22.* Lauterb. *cit. §. 39.* Quarto in fideicommissio universalis relicto ad pias causas. Lauterb. *l. c.* Struv. *l. c. lit. n.* Muller. *ibidem.* Carpz. *l. 6. resp. 26.* & AA. passim per *novell. 131. c. 12.* & *Auth. similiter c. ad leg. falcid.* nisi tamen hæres gravatus ipse esset causa pia, sive dum tam hæres institutus quam fideicommissarius esset locus pius; tunc enim heredi licebit deducere quartam trebellianicam, Wiestn. *l. c.* cum Barry *l. c. n. 8.* Quintò dum hæres (quemadmodum cogi potest adire hæreditatem ex SC. Trebelliano multæ coercitione vel pignoris capione, quæ sunt remedia prætorcia. Muller. *l. c. lit. d.*) coactus adiit illam. *§. 7. Inst. l. 4. & 16. §. 2. ff. ad SC. Trebell.* Lauterb. *cit.* ad data ratione; quod, qui alieno periculo adit hæreditatem, meritò ab omni lucro & commodo arcetur.

Arg. *l. 10. de R. 7.* & ita quidem, ut nec pænitendo dictam quartam retinere ei liceat, Lauterb. *cu. §. 39. in fine.* Sextò dum hæres omisit facere inventarium, ut volunt Treutl. *vol. 2. d. 14. th. 10. lit. d.* Hahn. *ad Wesenbec. ad SC. Trebell. n. 8.* Cravet. *conf. 17.* & alii ab Hillig. *in donell. l. 7. c. 29. lit. e.* allegati, contrarium tamen, nimirum omissionem inventarii non excludere trebellianicam, tenent Brunem. *ad Auth. sed cum. c. ad leg. falcid. n. fine.* Christian. *vol. 4. de cis. §. 1. n. 3.* Myning. *cent. 3. obs. 60.* Gail. *l. 2. obs. 138. n. 13.* testantes sic receptum in Camera Imper. Septimò locus non est trebellianicæ, dum testator sub ea conditione constituit fideicommissum, ne alienetur à fideicommissario ejusque successoribus. *novell. 119. c. 11. Auth. sed cum. c. ad leg. falcid.* quia detraçtio trebellianicæ sine alienatione & divisione partis à toto fieri nequit. Peregr. *de fideicom. a. 3. n. 91.* Muller. *l. c. lit. d.* Idem est, dum testator expressè prohibuit detrahi trebellianicam, seu rogavit hæredem fiduciarium, ut totam portionem sine detractione trebellianicæ fideicommissario restitueret, sive id faciat in testamento, sive in codicillo. Fachin. *controu. juris. l. 13. c. 59.* cum communi. Et quidem posse hanc deductionem prohiberi hodie dum (etiam liberis primi gradus, quibus olim jure prohibeæ non poterat dum computabatur in legitimam, ut Lauterb. *l. c.*) receptissima est sententia, quam tenent Covar. *in c. Raynald. h. t. §. 3. n. 6.* Clarus. *§. restam. q. 62.* Gail. *rr. 2. obs. 138. n. 15.* Gomes *tom. 1. var. resol. c. 5. n. 11.* Menoch. *conf. 272.* Mangil. *de impur. & detraçt. q. 114. n. 9.* & plures alii apud Muller. *in Struv. l. c.* etiam apud eundem dissentiant quidam alii, præsertim respectu liberorum primi gradus, quin & nepotum aliorumque omnium, qui de inofficiosa testamento queri possunt. Hanc vero rogationem vel prohibitionem faciendam necessariò, & præcisè verbis formaliter & in individuo eam exprimentibus, & non per æquipollentia, asserunt Hahn. *ad Wesenb. rr. ad leg. falcid. n. 8.* Carpz. *p. 2. c. 1. def. 13.* Brunem. *l. 11. ad leg. falcid. an. 1.* apud Muller. sufficere tamen æquipollentia, modò ex iis certa prohibentis voluntas colligatur, tradunt apud Lauterb. *§. 38.* Barry. *de success. l. 15. tit. 8. n. 20.* Menoch. Sabeli Stryck. qui tamen requirit, ut prohibitio fiat ex aliqua causa, quæ exprimitur, uti & persona cujus respectu fit. & in specie hanc prohibitionem induci per verba: *sine diminutione.* affirmat Muller. *l. c. lit. b.* citans Brunem. *ad l. 15. ff. ad leg. falcid. n. 6.* nequaquam verò per verba: *omni meliore modo:* cum nulla sit consequentia: volo testamentum meum omni meliore modo valere; ergo trebellianicam deduci nolo. Sed neque ex prohibitione detractionis falcidia statim inferenda etiam prohibitio detractionis trebellianicæ. Muller. *ad SC. trebell. th. 33. lit. b.* cum Schvwendendorff.

Quest. 692. An fideicommissarius universalis rem fideicommissariam propria auctoritate capere possit, & quæ ad eam consequendam fideicommissario competant remedia?

1. Resp. ad primum negativè; eò quod ante restitutionem, sive realem, sive verbalem vix nullum aut actionem habeat in istiusmodi bonis, *l. 37. l. 63. ff. ad SC. trebell.* Lauterb. *ibid. §. 20.* Limitandum hoc ipsum: nisi id per testatorem vel hæredem liceat. Item nisi gravatus dolosè se absentaverit, vel sine hærede decesserit, sicque possessio vacet. Lauterb. *l. c.* Peregr. *de fideicom. a. 48. n. 16. & seq.* plures limitationes vide apud Brunem. *ad l. 7. c. ad SC. Trebell.*

2. Resp.